

matione, et provisione hujusmodi ad Curiam Romanam venire non tenebuntur, ipsaque regularia beneficia sub expectativis gratiis non cadant. Ubi autem pro monasteriis ad dictam Curiam venire, seu mittere consueverint, non aliter confirmabimus, vel providebimus quam superius de cathedralibus ecclesiis est expressum. Et de monasteriis monialium non disponemus, nisi sint exempta, et tunc per commissionem, ad partes. De cæteris vero dignitatibus, et beneficiis quibuscunque sæcularibus, et regularibus vacaturis, ultra reservationes prædictas (majoribus dignitatibus post pontificales in cathedralibus, et principalibus in collegiatis ecclesiis exceptis de quibus jure ordinario providetur per illos inferiores, ad quos alias pertinet.

§ 4. « Placet etiam nobis, quod per quamcunque aliam reservationem, gratiam expectativam, aut quamvis aliam dispositionem sub quacunque verborum forma, per nos, vel auctoritate nostra factam, vel faciendam, non impedimus nos, quominus de illis, cum vacabunt de februarii, aprilis, junii, augusti, octobris, et decembris mensibus, libere disponatur per illos, ad quos eorum collatio, provisio, præsentatio, electio, seu quævis alia dispositio pertinebat: reservatione, aliave quavis dispositione, auctoritate nostra factis, vel faciendis, non obstantibus quibuscunque. Quoties vero aliquo vacante beneficio in januarii, martii, maii, julii, septembris, et novembris mensibus, specialiter dispositioni dictæ Sedis reservatis, non apparuerit infra tres menses a die notæ vacationis in loco beneficii, quod alicui de illo apostolica auctoritate provisum fuerit, ex tunc, et non antea ordinarius, vel alius, ad quem illius dispositio pertinebat, de illo libere disponere poterit. Et ad finem, ut hæc ordinatio collationem beneficiorum non reservatorum per alternos menses possit per dictam nationem publicari, et omnes, qui ea gaudere voluerint, tempus congruum habeant eam acceptandi, tunc quoad dictam Sedem a Kalendis junii, proxime futuris ipsa currere incipiet, et durabit deinceps, nisi in futuro concilio de consensu dictæ nationis aliter fuerit ordinatum.

§ 5. « Placet similiter nobis, quod circa provisionem dictæ Sedis ordinandam, modus, annatarum hoc modo currat. De ecclesiis cathedralibus omnibus, et monasteriis, viro-

vantur de fructibus primi anni a die vacationis, summæ pecuniarum in libris Cam. apost. taxatæ, quæ communia servitia nuncupantur: et si quæ excessive taxatæ sint, retaxentur; et quod provideantur specialiter in gravatis regionibus secundum qualitatem rerum, temporum, et regionum, ne nimium prægraventur: at quod petentibus dabimus commissarios in partibus, qui diligenter inquirant, et retaxent. Taxæ autem prædictæ pro media parte infra annum a die habitæ possessionis pacificæ totius vel majoris partis solvantur, et pro alia media parte infra annum sequentem; et si infra annum bis, vel pluries vacaverint, semel tantum solvantur; nec debitum hujusmodi in successorem in ecclesia, vel monasterio transeat. De cæteris vero dignitatibus, personatibus, officiis, et beneficiis sæcularibus, ac regularibus quibuscunque, quæ auctoritate dictæ Sedis conferentur, vel de quibus providebitur (præterquam vigore gratiarum expectativarum, aut causa permutationis) solvantur annatæ, seu medii fructus juxta taxam solitam, a tempore possessionis intra annum; et debitum hujusmodi similiter in successorem in beneficio non transeat. Sed de beneficiis, quæ valorem viginti quatuor florenorum auri de Camera non excedunt, nihil solvatur; duretque hæc observantia deinceps nisi eam similiter in futuro concilio de ipsius nationis consensu contingat immutari.

§ 6. « In aliis autem, quæ per fel. recor. Eugenium papam Quartum, etiam prædecessorem nostrum, pro dicta natione usque ad tempus futuri generalis concilii permissa, concessa, indulta, et decreta, ac per nos confirmata fuerunt, in quantum illa concordatæ præsentis non obviunt: ista vice nihil volumus esse immutatum, et per hoc quod in concordatis hujusmodi, sive quibusvis aliis eorum occasione conficiendis litteris, propter compendiosorem descriptionem, Alemania specialiter appellatur, natio ipsa censi non debet a Germanica natione distincta, seu quomodolibet separata.

§ 7. « Et præterea, quia difficile foret præsentis litteras ad singula, in quibus de eis forsitan fides facienda fuerit, loca deferri, eadem apostolica auctoritate decernimus, quod ipsarum transumpto metropolitanorum dictæ nationis sigillo munito, tanquam præsentibus si exhiberentur litteris plena adhibeatur; et proinde stetur, ac si dictæ præsentis litteræ forent exhibitæ vel ostensæ, et

insuper quoque irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari.

§ 8. « Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ approbationis, ratificationis, laudationis, acceptationis, commutationis, reservationis, constitutionis, et voluntatis infringere, vel si ausu temerario contrarie. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. »

« Dat. Romæ apud S. Petrum anno incarnationis Dominicæ, 1447. Kalend. aprilis, pontificatus nostri anno 2. »

§ XIX.

SOLVUNTUR VARIE QUÆSTIONES CIRCA CONCORDATA GERMANIÆ.

536. *Utrum concordata Germaniæ sint favorabilia collatoribus ordinariis beneficiorum, quam regulæ cancellariæ? Per regulas cancellariæ generaliter reservantur omnes Ecclesiæ episcopales, etc. Juxta concordata conceditur de his fieri electio in partibus.* — Quæritur I. Utrum concordata Germaniæ quoad reservationes beneficiorum favorabilia sint Germanis, seu horum collatoribus ordinariis, quam regulæ Cancellariæ? Resp. Affirmative: prout bene notat Laurent. Nicolart de *Concordatis Germaniæ*, tit. III. dub. 1. § 3; Georg. Branden super *Concordat. German.* quæst. 4. n. 43; et Pirhing, h. t. n. 363, not. 5. Qui reservationes regularum Cancellariæ haud immerito « ampliores et ordinariis duriores » præ concordatis Germaniæ pronuntiant: idque facile patebit ex differentiis eorundem. Primo enim juxta reg. 2. Cancell., reservantur « generaliter omnes Ecclesiæ parochiales, primatiales, archiepiscopales, episcopales, nec non monasteria virorum, valorem annum ducentorum florenorum auri communi aestimatione excedentia, » et vacantia, seu vacatura. E contra in concordatis Germaniæ, si isthæc extra curiam vacaverint, etc., conceduntur de talibus fieri electiones canonice in partibus (quæ revera est insignis benignitas sanctæ Sedis erga Germanos) ita tamen, ut ejusmodi electiones postea ad Sedem apostolicam deferantur pro confirmatione: prout latius habetur in relatis concordatis Germaniæ. § 3.

537. *Papa non sic allegans electionibus episcoporum juxta concordata Germaniæ factis, quin ex causa possit aliter providere.* — Notant tamen doctores, ac signanter Branden, quæst. 6. *Concordat. German.* n. 3, Papam non sic electionibus ejusmodi esse ligatum, quia ex evidenti causa, postposito electo, possit Ecclesiæ de alio prælato providere; tum quia istud suadet suprema, et absoluta ejusdem potestas, qua pro meliori Ecclesiæ gubernio, atque exigentibus justissimis causis, de jure potest supra jus dispensare, c. *Proposuit. 4. de Concession. præbend.*; tum quia hoc ipsum declarant relata verba concordatorum Germaniæ § 3. ibi: « Et si canonice fuerint (electiones) eas confirmabimus; nisi ex rationabili, et evidendi causa de dictorum fratrum consilio, de digniori, et utiliori persona duxerimus providendum. » Hæc ibi.

538. *Per regulas cancellariæ reservantur octo menses collationi pontificiæ. Juxta concordata conceditur alternativa sex mensium.* — Deinde juxta reg. 8. (nunc 9.) Cancellar. reservantur collationi pontificiæ octo menses; videlicet mensis januarii, februarii, aprilis, maii, julii, augusti, octobris, et novembris demptis patriarchis, archiepiscopis, et episcopis, quibus ad gratificandum, et quandiu apud suas Ecclesias personaliter resederint (sub certis tamen limitationibus) conceditur alternativa sex mensium. E contra concordata Germaniæ quibusvis collationibus inferioribus indistincte relinquunt alternativam sex mensium, pro collatione beneficiorum in ipsis vacantium; præterquam expresse reservatorum in eisdem concordatis § 2. et 3.

539. *Ibi beneficia vacantia in mensibus reservatis perpetuo remanent reservata: non hic.* — Tertio, juxta regulas Cancellariæ beneficia vacantia in mensibus reservatis, perpetua remanent reservata, seu affecta; adeo, ut de illis nullius alius, præter Romanum Pontificem, ullo amplius tempore disponere, seu illa conferre valeat. Per concordata vero Germaniæ Sedes apostolica adeo benignam nationi Germanicæ sese exhibere dignatur, ut post lapsum unius trimestris a die notæ vacationis in loco beneficii, si nondum apparuerit de facta provisione apostolica, concedat fieri collationem beneficii per collatores inferiores: sicque quodammodo patiat fieri devolutionem a supremo Ecclesiæ capite ad inferiorem, de quo plura inferius n. 566. et seqq.

540. *Concordata Germaniæ non derogant ex toto regulis cancellariæ: idque ostenditur exemplis.* — Quæritur II. Utrum concordata Germaniæ ex toto derogent regulis Cancellariæ? Resp. Negative. Nam ut inquit Georg. Branden super eisdem *Concordatis*, quæst. 9. numer. nemo dicere poterit, per concordata hujusmodi sublatas, et irritas censi omnes regulas Cancellariæ: siquidem regulam Cancellariæ *De viginti*, seu de infirmis resignantibus: item regulas, *De male promotis*, *De verisimili notitia*, *De annali possessore*, *De triennali*, ac hujusmodi, etiam in Germania, et circa hujus beneficia locum habere, indubitati juris est. Itaque concordata Germaniæ solum derogant regulæ Cancellariæ quoad ea, quæ circa reservationem beneficiorum sibi propria continent, seu specialiter disponunt: junctis illis quæ circa modum annatarum, Sedi apostolicæ persolvendarum, eadem concordata Germaniæ § 5. vers. *Placeat similiter*, ordinarunt. Verum de annalis commodius alibi, videlicet lib. V. tit. III. *de Simonia*.

541. *Concordatis Germaniæ nequit opponi præscriptio, aut exceptio non usu ipsorum. Decretum irritans inficit ipsum titulum, et possessionem, non obstante ignorantia.* — Quæritur III. Utrum concordatis Germaniæ possit opponi præscriptio, aut exceptio de non usu ipsorum? Resp. negative; prout ex professo tradit Branden, quæst. 2. 3. et 4. super *Concordat German.*; Chokier ad reg. 8 Cancellar. n. 7 et 8.; Nicolart. tit. III. super d. *Concord.* dub. 2. per totum; Pirhing, h. t. n. 363. et alii. Ratio est, tum quia concordata illa solemniter erecta, et acceptata fuerunt per Papam, et principes Germaniæ, totamque nationem istam: sicque abierunt in pactum, quod omnimodis est observandum: cum ejus obligatio sit de jure naturali, et gentium, cap. 1. et III. *de Pactis*, et l. 1. ff. eod. cum similibus; tum quia volens declinare concordata, allegando non usum istorum, incideret in regulas Cancellariæ, harumque reservationes, quæ sunt collatoribus ordinariis duriores, quibusque nihil opponi potest præter specialia nationum concordata. Branden, cit. quæst. 4. n. 43; tum tandem, quia concordata Germaniæ, in fine suæ confirmationis apostolicæ, continent decretum irritans, quo decernitur « irritum et inane, si secus super his a quoquam, gravis auctoritate, scienter vel

ignoranter, contigerit attentari: » sicque nunquam potest haberi bona fides, et titulus justus, atque possessio requisita ad legitimam præscriptionem. Etenim decretum irritans inficit ipsum titulum, atque possessionem, non obstante ignorantia aliqua. Flamin. Parisius, *de Resignat. benefic.* l. VI. quæst. 5, numer. 5; Gonzalez, ad reg. 8. Cancellar., gloss. 67, n. 29 et seqq.; Barbosa, tract. *de Clausulis*, claus. 40, n. 23, citans alios.

542. *Romani pontifices nunquam acquieverunt contraventionibus.* — Atque idcirco Romani pontifices nunquam acquieverunt contraventionibus, seu non usui concordatorum, sed quacunque occasione data semper declararunt, atque Rota sæpius judicavit omne et quascunque provisiones contra concordata ab ordinariis attentatas, fuisse nullas, et irritas: prout notat, atque adductis pluribus decisionibus, ostendit Branden, cit. quæst. 4, n. 45, et sequitur Pirhing, h. t., n. 363. not. 5.

543. *Idipsum clarissime probat bulla Clementis VII.* Admonet nos. — Accedit, et hoc ipsum clarissime probat bulla Clementis VII. quæ incipit, *Admonet nos*, et habetur tom. I. *Bullarii Romani*. constitut. 41. dicti Pontificis. In qua imprimis Pontifex deplorat præsumptionem quorundam prælatorum Ecclesiæ, nec non principum temporalium Germaniæ, qui post Romæ direptionem usurparunt dispositionem beneficiorum contra formam concordatorum. Deinde subjungit, quamvis contra præsumptores hujusmodi sufficienter jam fuisset provisum per *Bullam Cæne Domini*; nihilominus nonnullos prælatos, ac principes prædictos, a præmissis non desistere, etc. Proinde, ac tertio, dictus Pontifex declarat, collationes beneficiorum contra formam concordatorum Germaniæ factas vel in posterum faciendas, irritas esse, nullumque titulum illa beneficia possidenti tribui, nec quemquam fructus ex eis perceptos, vel percipiendos, posse ullo unquam tempore facere suos, sed ad illorum restitutionem in utroque foro efficaciter fore obligatos. Verba memoratæ bullæ clarius istud continet, et ita sonat.

544. *Refertur citata bulla.*

CLEMENS EPISCOPUS, SERVUS SERVORUM DEI.

Ad futuram rei memoriam.

« Admonet nos incumbens nobis pastoralis officii cura, ut non solum nobis, sed

etiam cunctorum Christi fidelium, et præsertim ecclesiasticarum personarum profectibus diligenter intenti, illorum accuramus dispendiis, et quæ in cujusque ipsorum præjudicium, sive noxam quavis etiam auctoritate prodixisse comperimus, salubriter reformemus.

§ 1. « Sane dudum ad nostram pervenit notitiam, qualiter nonnulli archiepiscopi, et episcopi, ac Ecclesiarum prælati, nonnulli etiam principes, ac domini temporales inclytæ nationis Germanicæ, post miserabilem Urbis direptionem, collationes, et dispositiones beneficiorum ecclesiasticorum, nobis et Sedi apostolicæ, etiam virtute concordatorum inter Sedem et nationem præfatam reservatorum, temere usurpare præsumpserunt, ac collationes, et dispositiones nostras, et dictæ Sedis de illis factas admittere contempserunt, nedum in nostrum et ipsius Sedis vilipendium, sed etiam in jurium nostrorum, et ejusdem Sedis, ac illorum, quibus, de ipsis beneficiis providimus, aut in quorum favorem alias disposuimus, seu provideri et disponi mandavimus, grave præjudicium. Et quamvis contra præsumptores et contemptores hujusmodi in bulla, quæ quot annis in die Cæne Domini de more lecta fuit, declaraverimus, et protestati fuerimus, quod in præmissis et aliis quibuscunque juribus dictæ Sedi, et sanctæ Romanæ Ecclesiæ undecunque, et quomodocunque quæsitis seu quærendis, per quoscunque actus contrarios, aut quomodolibet præjudicantes, tacitos vel expressos, a nobis vel ab eadem Sede quomodolibet factos, vel faciendos, aut quemcunque temporis fluxum, vel patientiam, vel tolerantiam nostram, nobis aut eidem Sedi nullatenus præjudicari debere, aut quomodolibet posse: tamen, sicut non sine animi nostri mœrore intelleximus, nonnulli ex archiepiscopis, episcopis, prælatis, principibus, et dominis prædictis, adhuc a præmissis desistere non curarunt, nec de præsentibus curant: quinimo, quod deterius est ne provisiones apostolicæ admittantur, per sua mandata etiam poenalia prohibere non verentur, in animarum suarum periculum, et aliorum prælatorum, ac principum catholicorum dictæ nationis perniciosum exemplum, et scandalum plurimorum.

§ 2. Nos igitur, qui a dictis concordatis, quæ olim Romanæ Ecclesiæ, et dictæ nationis hominibus, pro ipsius ecclesiæ unionem, ac pace, et tranquillitate inter ecclesiam et

nationem prædictas, perpetuo solidandis, et conservandis laudata, conclusa, et acceptata fuerunt, nullatenus recedere intendimus, ne dicti præsumptores; et contemptores, aut per eos in dictis beneficiis intrusis ex hujusmodi temeraria præsumptione gloriari valeant, neve ipsi intrusi ex adulterinis eorum titulis aliquem fructum reportent, nec illis quibus de beneficiis prædictis, per nos, aut dictam Sedem, seu ejus auctoritate provisum extitit, et in futurum providebitur, per aliquem temporis fluxum, seu aliquam patientiam, vel tolerantiam præjudicium fiat, aut factum censeatur, ex pastoralis officii debito prævidere volentes, ac concordatis prædictis firmiter inhærentes, motu proprio, et ex nostra matura deliberatione, ac certa scientia, auctoritate apostolica, de apostolicæ potestatis plenitudine, tenore præsentium declaramus, prætensas collationes et alias dispositiones de quibuscunque beneficiis ecclesiasticis cum cura et sine cura, nobis et dictæ Sedi, ut præfertur, reservatis, per archiepiscopos, episcopos, prælatos et sæculares principes, et dominos quoscunque dictæ nationis, seu ad eorum præsentationem, vel nominationem, etiam per ordinarios ipsorum beneficiorum collatores a tempore dictæ direptionis citra contra tenorem, et formam dictorum concordatorum quomodolibet factas, vel in posterum faciendas, personis, quibus, aut in quarum favorem factæ sunt, aut in posterum fient, nisi sint per nos, aut nostra, vel dictæ Sedis auctoritate approbatæ, nullum titulum, vel colorem ipsa beneficia possidendi tribuisse, aut in futurum tribuere; sed et illos pro malæ fidei possessoribus, et mere intrusis ab omnibus haberi, et censi, ac fructus per eos beneficiis hujusmodi perceptos, et percipiendos, nullo unquam tempore suos facere, sed ad illorum restitutionem in utroque foro efficaciter obligatos esse: et ad illorum restitutionem, in utroque foro efficaciter obligatos esse: et ad illorum restitutionem, ad eorum, quorum interest, seu etiam fisci nostri instantiam, omnibus viis juris, et remediis compelli posse, et debere; et eos nullo unquam tempore beneficio regularum, *De annali*, et *triennali pacifico possessore*, gaudere potuisse, aut posse.

§ 3. « Illis vero, quibus eadem beneficia, per nos, aut auctoritate nostra vel dictæ Sedis tenore et forma concordatorum hujusmodi servatis collata sunt, aut in futurum conse-

rentur, vel commendabuntur, nec non ecclesiis et locis ecclesiasticis, ac collegiis, quibus perpetuo, vel ad tempus eadem auctoritate unita sunt, aut in posterum unientur, ac omnibus illis, qui in executione litterarum apostolicarum eis concessarum per constitutiones seu mandata archiepiscoporum, episcoporum, praelatorum, principum, vel dominorum prædictorum, hactenus quomolibet impediti fuerunt, aut in posterum impediuntur, dictas regulas, et quemcunque temporis fluxum, seu patientiam, vel tolerantiam minime ob stare debere, quominus contra dictos intrusos, et intrudendos quocunque tempore judicialiter experiri valeant.

§ 4. « Decernentes sic per quoscunque iudices, etc. (Sequuntur decretum irritans, clausulæ derogatoriæ, transumptorum fides, et sanctio pœnalis.)

« Datum Romæ apud sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo trigesimo quarto, Kal. julii, pontificatus nostri anno undecimo. »

545. *Quid juris, si quis obtinisset beneficium contra concordata Germaniæ?* — Infertur proinde, quod si quis obtinisset beneficium ecclesiasticum contra concordata Germaniæ, etiamsi id recepisset bona fide, et ex ignorantia concordatorum: nihilominus, cognito suo errore, teneatur Romam venire pro nova provisione, atque reformanda priori collatione, utpote nulliter facta. Revera enim talis censetur esse intrusus, caretque omni titulo, et colore tituli: estque habendus pro malæ fidei possessore, nec fructus ex tali beneficio perceptos, vel in posterum percipiendos, ullo tempore facit suos, sed ad eorumdem restitutionem in utroque foro efficaciter obligatus existit; uti patet ex allegata bulla Clementis VII. Accedit, quod concordata Germaniæ in fine contineant decretum irritans, quod inficit tum titulum, tum etiam possessionem, juxta dicta n. 541. adeoque taliter intrusus nunquam juvetur beneficio Regulæ, *De triennati pacifico possessore*, Georg. Branden super *Concordat. German.*, quæst. 5. n. 9. et seqq. et præsertim n. 31, solvens contraria.

546. *Quæ beneficia cadant sub reservatione concordatorum Germaniæ? Sub his cadunt beneficia vacantia in curia.* — Quæritur IV. Quæ beneficia cadant sub reservatione pontificia vi concordatorum Germaniæ? Resp. I. Beneficia quæcunque majora et minora cum cura et sine cura, sæcularia et regularia, quæ vacant apud Sedem apostolicam, seu in Cu-

ria, indistincte reservantur collationi pontificiæ. Ita patet ex § 2. *Concordatorum Germaniæ*: ubi ista omnia speciatim, et ad longum recensentur, conformiter reservationibus juris communis, et extravagantium *Execrabilis*, et *Ad Regimen*, prout liquet ex textu.

547. *Item beneficia promotorum auctoritate apostolica ad episcopatus, et monasteria.* — Atque hoc ipsum cit. § 2. *Concordat. German.* vers. *Rursus monasteria*, ampliatur ad quæcunque beneficia, sæcularia et regularia, cum cura vel sine cura, etiam electiva, promotorum auctoritate apostolica ad episcopatus, vel monasteriorum regimina. Omnia enim beneficia, quæ taliter promoti tempore suæ promotionis obtinent, sicque vacant, collationi apostolicæ reservantur; prout liquet ex textu ibidem.

548. *Alias in metropolitanis et cathedralibus ecclesiis, atque monasteriis, potest fieri electio: et a quo hæc sit confirmanda?* — Resp. II. In ecclesiis vero metropolitanis, et cathedralibus etiam immediate non subjectis ecclesiis, sicut et in monasteriis immediate subjectis Sedi apostolicæ, quando extra Curiam vacaverint, permittuntur fieri electiones canonicæ; ita tamen, ut hæc postea ad Sedem apostolicam deferantur pro confirmatione: uti habetur in eisdem concordatis. § 3. Unde in tali casu cessat reservatio, quæ cæteroquin per regulam 2 Cancellariæ induceretur juxta dicta n. 536. Quamquam istud duntaxat locum habeat in vacatione dictarum ecclesiarum per mortem naturalem prioris possessoris: nam cæteri vacationum modi, puta, per depositionem, vel privationem, vel translationem, vel electionis cassationem, seu postulationem repulsam, aut renuntiationem auctoritate apostolica admissam, vel per promotionem ad Episcopatum etc. eadem auctoritate factam, jam in § 2. *Concordat. German.* continentur, atque reservantur.

549. Porro in monasteriis dictæ Sedi immediate non subjectis, et aliis Regularibus beneficiis extra Curiam vacantibus, non solum permittitur fieri electio canonica per eos, ad quos pertinet: sed nec opus est, pro confirmatione recurrere ad Sedem apostolicam, ubi hactenus non consuevit haberi talis recursus. De monasteriis quoque monialium nihil se dispositurum promittit Pontifex, nisi sint exempta: et tunc per commissionem ad partes.

550. *Majores dignitates in cathedralibus post pontificales et principales in collegiatis, reser-*

vantur collationi Papæ. Et quæ sint tales? — Resp. III. Ulterius collationi papali reservantur « majores dignitates post pontificales in cathedralibus; et principales dignitates in collegiatis ecclesiis, » juxta textum expressum in fine § 3. *Concordatorum*. Et tales majores, seu principales dignitates, apud nos solent esse præposituræ dictarum ecclesiarum cathedralium, vel collegiatarum; uti notat Layman, lib. IV. *Theol. Moral. tract. II. cap. II. n. 1.* In quibusdam vero ecclesiis ejusmodi major seu principalis dignitas censetur esse decanatus: nam, quæ dicenda sit major dignitas in ecclesia post pontificalem, non nihil controvertunt doctores; et quoad hoc standum esse consuetudini locorum, notat Glossa c. *Deliberatione. §. Electionis. de Offic. legati* in 6. et Chokier. ad reg. 3. *Cancellar. n. 1. et 16.*

551. *Nonnullæ ecclesiæ cathedrales habent speciale privilegium, ut possint ad istas eligere.* — Solum adde, quod non obstante prædicta reservatione concordatorum nonnullæ ecclesiæ cathedrales speciali privilegio apostolico munitæ dicantur; vi cujus possunt eligere præpositum: prout de metropoli Salisburgensi refert Pirhing, h. t. n. 362. de Cathedrali Augustana Layman, cit. tract. II. c. XI. n. 1. et Branden, super *Concord. German.* quæst. 12. n. 2. et de Leodiensi Laurent. Nicolarts tit. I. *Concord. German.* § 12. et Chokier ad reg. 3 *Cancellar. n. 16.* referens bullam Sixti V. 1585, pontificatus sui anno primo datam: in qua Leodiensibus conceditur potestas eligendi præpositum, aliosque inferiores, dummodo electio fiat intra triginta dies a die vacationis computandos; simulque infra sex menses, a die electionis numerandos, a sancta Sede petatur confirmatio.

552. *In cæteris dignitatibus, et beneficiis quibuscunque, datur alternativa mensium.* — Resp. IV. « De cæteris vero dignitatibus, et beneficiis quibuscunque sæcularibus, et regularibus vacaturis, de quibus jure ordinario providetur per illos inferiores, ad quos alias, providetur. » Concordata Germaniæ, § 4, excludunt quamcunque aliam reservationem, et gratiam expectativam a Papa confaciendam; atque statuunt, seu concordant in alternativam mensium, illis Papæ verbis: « Placet etiam nobis, quod per quamcunque aliam reservationem, gratiam expectativam, aut quamvis aliam dispositionem, sub quaque verborum forma, per nos, vel aucto-

ritate nostra factam, vel faciendam, non impediamus nos, quominus de illis, dum vacabunt de february, aprilis, junii, augusti, octobris, et decembris mensibus, libere disponatur per illos, ad quos eorum provisio, præsentatio, electio seu quævis alia dispositio pertinebat. » etc. Et infra: « januarii, martii, maii, julii, septembris, et novembris mensibus, specialiter dictæ Sedi reservatis, » etc. Hæc ibi. Verum circa hunc textum dubitari solet, quænam complectatur beneficia: unde

553. *Quænam beneficia sub hac alternativa mensium in concordatis Germaniæ comprehendantur? Sub alternativa mensium comprehenduntur quælibet beneficia, vel officia, quæ dantur in titulum, passim tradunt auctores.* — Quæritur V. Quænam beneficia sub memorata alternativa mensium in concordatis Germaniæ comprehendantur? Resp. I. Quod exceptis beneficiis supra n. 546. 547. et seqq. relatis, utpote collationi pontificiæ semper reservatis, concordata Germaniæ sub alternativa mensium comprehendant quælibet beneficia, et officia ecclesiastica, quæ in titulum dantur, quocunque nomine vocentur, passim tradunt auctores; ac præsertim Laurent. Nicolarts. tit. I. *Concordat. German.* dub. 1, § 14, 15, 16 et 22, et dub. 2, § 2. et dub. 3. et seqq. citans alios.

554. *Et ratio hujus sententiæ. Dictio Quicunque propter suam generalitatem, comprehendit omnia.* — Ratio hujus sententiæ dari solet; quia imprimis istud videtur aperte convincere dictio illa universalis, qua cit. § 4. utuntur relata concordata Germaniæ, « De cæteris vero dignitatibus, et beneficiis quibuscunque: » hæc enim dictio universalis, *Quicunque*, sive in dativo, sive ablativo « Quibuscunque » propter suam generalitatem comprehendit omnia; ut c. *Solite*. juncta Glossa §. *Quodcunque, de Majorit. et obedient.*; Barbosa, tract. de *Dictionib. usu frequentiorib. dict.* 317. n. 1 et 3. ac seqq. cum aliis.

555. *Dictio Vero est adversativa præcedentium, in jure et in facto.* — Accedit, quod hoc ipsum etiam importet dictio illa, « In cæteris vero: » nam dictio *Vero*, est adversativa præcedentium, in jure et in facto, l. *Si vero*, ff. *Qui satisfacere cogantur*; atque cum aliis notat Barbosa, loc. cit. dict. 420. n. 1. Tandem in eisdem concordatis illico subjungitur mentio de beneficiis, quorum « provisio, præsentatio, electio, seu quævis alia dispo-